

partibus aliquo modo unitis & coexistentibus: contritio autem, & confessio sunt partes materiales Sacramenti Poenitentiae. Dixi 2. Non Physicè; quia Sacramentum non est compositum Physicum, sed morale: nec est ulla lex, quae id praecipiat, aliunde esset onus importabile poenitentibus, qui habent multa accusanda, si deberent esse solliciti semper actualiter & formaliter dolere, dum singula narrant. Dixi 3. Moraliter; quia Sacramentum est compositum morale.

Idque totum prob. hac ratione. Sacramentum Poenitentiae est institutum ad modum actus judicialis: ergo ad illud talis requiritur partium conjunctio, qualis ad actum judiciale. Subsumo; atqui ad actum judiciale requiritur, quod partes, scilicet accusatio & dolor in reo, sententiae judicis aliquo modo uniantur, non tamen physicè, sed moraliter: ergo similiter.

Quaeritur autem simul, seu respectus inter partes requiratur, ut censeatur moraliter unitae? Non est una omnium sententia. Unde R. 2. Actum contritionis certò debere praecedere absolutionem; quia est dispositio & materia ad illam. Et quidem tutius praecedit inchoatam absolutionem; quia in omni judicio cognitio causae debet praecedere sententiam Judicis. Non est tamen improbabile sufficere, si eliciatur ante ultimum instans prolationis verborum forma; quia tunc tantum confertur primo effectus sacramentalis.

Dices: ut ablutio aquae in forma Baptismi censeatur moraliter unita, non requiritur necessariò, quòd ablutio praecedat; sed sufficit, si immediate sequatur, ut dictum est de Sacramentis in genere, licet tamen ablutio sit materia respectu formae: ergo similiter in hoc Sacramento. R. N. Cons. Disparitas est, quòd moraliter censeatur adhuc verè dici ablutio, etsi immediate post projiciatur aqua: sicut censeatur verè dicere bibo, qui statim post scyphum ori admovet. At hic cum forma sit Sententia judicialis, debet necessariò praesupponere cognitionem causae, antequam feratur, aliàs non censeatur moraliter unita materiae, & eam informare. Adde, quòd praxis universalis Ecclesiae & unanimis Doctorum sententia quoad hoc satis manifestent, talem esse Christi voluntatem.


R. 3. Non videtur necessarium, quòd actus contritionis praecedat confessionem, licet sit consultum. Est communis Sententia contra Coninck & paucos alios, quam testatur praxis unanimis Confessariorum, qui solliciti sunt exigere contritionem à Poenitente post confessionem, non ante. Prob. autem solutione duplicis fundamenti Adversariorum; quorum primum est, quòd confessio non debeat esse nuda & historica narratio, sed accusatio dolorosa, adeoque informati dolore, qui proinde debet saltem natura praecedere. Secundum, quòd contritio debeat esse sensibilis, redditur autem sensibilis, per confessionem: ergo confessio debet subsequi contritionem. Ad 1. R. Ut confessio dicatur dolorosa, non requiritur, quòd praecedat eam dolor, sed sufficit, quòd ipsa referatur ad dolorem, qui sequitur: imò ipse dolor sequens aliquo sensu praecedit & influit in Confessionem, in quantum quàmvis Poenitens flectit, aut humiliter petit, seu expectat sententiam Judicis, tamdiu censeatur moraliter perseverare in facta confessione, eamque ipso facto continere, atque implicite dicere. Ita Pater mi, feci haec omnia

que dixi ita est peto supplex absolutionem & poenitentiam. ergo, si post factam narrationem peccatorum eliciatur actus contritionis, eam confessionem, sic continuatam moraliter, sufficienter informat, & dolorosam efficit. Et hinc patet Responsio ad 2. scilicet quòd per istam confessionem moraliter & facto continuatam sufficienter reddatur sensibilis contritio, & sufficienter manifestabitur Confessario Judici. Alii dicunt, confessionem reddere contritionem sensibilem, in quantum indicat dolorem, aut esse aut fuisse, aut futurum esse. Dixi tamen, in praxi consultum esse, contritionem praemittere confessioni, ne forte poenitens postea dictus, aut absolutione praeventus, Sacramentum non recipiat defectu contritionis.

R. 4. Quòd contritio praecedit confessionem, non requiritur, quòd immediate ante confessionem eliciatur, quia ad unionem moralem partium in actu judiciali tanta partium conjunctio non requiritur, sed requiritur & sufficit, aut quòd non fuerit revocata vel formaliter per actum contrarium, vel virtualiter per actum peccaminosum; aut quòd tanta temporis intercapedine non praecesserit, quin possit prudenter judicari adhuc moraliter virtualiter perseverare tempore confessionis sequentis. Sed quantum temporis requiritur, ut censeatur adhuc moraliter perseverare? Quidam dicunt, quàmvis non retractatur. Alii ponunt, si vesperi conteratur & mane confiteatur. Alii, si domi conteratur, & in Ecclesia perseveret: sed hoc pendet ex judicio prudentis confessarii, qui attentis circumstantiis judicabit moraliter uniti, quàmvis judicare poterit unum actum ab alio imperari, aut quòd unum facere moraliter cum ipso. Ceterum in hac materia tene certum, dimitte incertum. Item requiritur, quòd contritio praecedens fuerit aliquo modo relata ad confessionem sequentem, sive quia confessio fuit motivum contritionis, sive contritio motivum confessionis. Aliàs, si nullam relationem habet ad confessionem futuram, non poterit censei unita moraliter cum illa. Quidam tamen non improbabiler tenent, quòd, si sine ullo respectu ad confessionem elicitur fuerit contritio, sed tempore confessionis Poenitens dolorem pius habitum ad hanc confessionem revocet, id sufficiat propter moralem doloris & confessionis unionem. At si contritio praecedens nullo modo referatur ad confessionem, ut si hodie dolens non cogites de confessione crastina, nec cras confitens recorderis doloris hesterni, invalide confiteris, nisi novum dolorem concipias, quia pars debet referri ad partem; & confessio sacramentalis & valida debet esse dolorosa, qualis non potest esse, nisi per dolorem aliquo ex his modis ad se relatum.

Petes 4. Utrum, qui immediate post confessionem accusat peccatum oblitum, teneatur ad novam contritionem? R. Probabilis negativè; quia prior contritio ad illud extendebatur, & adhuc moraliter perseverat.

Petes 5. Utrum sufficiat dolere, se non dolere de peccatis? R. in rigore loquendo negativè; quia dolor debet esse de peccatis, & non de defectu doloris. Verùm Poenitentes sic loqui solent, non quòd careant omnino dolore de peccatis; sed quia timent insufficientiam, aut non experiantur dolorem sensibilem, qui, ut ante diximus, non est absolute necessarius ad contritionem.



DISSERTATIO V.

DE ALTERA PARTE SACRAMENTI POENITENTIAE,

Scilicet.

DE CONFESSIOE; ET PRIMO DE EJUS NECESSITATE.

D. Thom. Quaest. 6.

ARTICULUS I.

Utum Confessio Sacramentalis sit necessaria ad salutem?

§. I. Praenotanda.

Confessio Sacramentalis communiter & rectè definitur: Accusatio legitima peccatorum, facta Sacerdoti competenti ad veniam, virtute clavium, obtinendam. Dicitur Accusatio: quia peccata non sunt aperienda modo historico, aut ad ostentationem; sed animo se accusandi, & se reum exhibendi. Dicitur legitima, id est, vestita omnibus suis circumstantiis, de quibus infra. Dicitur peccatorum propriorum scilicet & actualium, post Baptismum commissorum; ut designetur

objectum, seu materia confessionis. Dicitur facta Sacerdoti competenti, id est, habenti jurisdictionem: unde, facta Laico, vel Sacerdoti non habenti jurisdictionem, non est sacramentalis, adeoque nulla. Dicitur ad veniam obtinendam, ut ostendatur finis & effectus confessionis, ejusque differentia ab aliis Tribunalibus, in quibus non venia, sed poena constituta est. Dicitur virtute clavium; quia Confessarius potestate sibi a Christo tradita verè absolvit, ut ante diximus. Apud Graecos Exomologesis idem est ac apud nos confessio; usurpat tamen etiam Exomologesis pro tota laboriosa poenitentiae actione, ut jam dictum est.

Joannes Wiclef rejicit confessionem tanquam inutilem dicens: Si homo debite fuerit contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua & inutilis: est inter articulos ejus a Concilio Constantiensi damnatos septimus. Lutherus vario hac de re cen-

censuit; in parvo Catechismo, quem edidit, ut refert Doctissimus Bossuet Episcopus Meldensis, docet eam esse necessariam. In visitatione Saxonica ann. 1528 & in Serm. de Euch. ann. 1528. dicti esse liberam. Libr. 1. de Captivitat. Babylon. cap. de Poenit. scribit, eam sibi placere, & esse utilem. Et Serm. de Poenit. art. 9. Carnificinam & cruentissimam appellat. Videtur tamen, certò tenuisse 1. Confessionem non posse probari ex Scripturis libr. 1. de Captiv. Babyl. cap. poenit. 2. Non esse necessarium omnia confiteri, etiamsi eorum recorderetur Poenitens, ut patet ex eodem loco, & Serm. de Poenit. & ex art. 8. & 9. damnatis a Leone X. 3. Damnati eos, qui docent, peccata venialia & circumstantia peccatorum esse confidenda ibid. 4. Serm. de poenit. Ex Lutheranis Joannes Brinius, & Kemnitius rejecerunt absolute confessionem in specie, contenti confessione generali. Secundum Bossuet, Lutherani confessionis Augustanae retinent usum confessionis articularis, quod probat ex Apologia ipsius confessionis Augustanae.

Calvinus docet 1. usum confessionis non esse Juris divini, inst. c. 4. §. 7. 2. Docet, antiquum quidem fuisse, sed liberum, Cujus equidem vetustissimum esse usum fatemur (inquit ibid.) sed quem facile evincere possumus olim fuisse liberum. Docet 3. expellere, ut Minister tam pro se, tum pro populo confessionem generalem faciat, suadetque, ut etiam privata consulatur, & specialiter illis, qui peccatorum suorum sensu anguntur, ut solidum consolationis fructum referant. Docet 4. Confessionem, ut fit, & praecipitur in Ecclesia Romana, tollendam esse de medio: Nihil mirum (inquit §. 19.) si auricularem illam confessionem, rem adeo pestilentem, totque nominibus Ecclesiae noxiam, damnatam, ac sublatam e medio cupimus; asseritque, novum esse inventum Innocentii III. in Concilio Lateran. IV. ann. 1215. Is Calvini dogmatibus adherent omnes Calvinistae, quorum errores in hac parte quatuor libris propugnare aggressus est pseudo-Minister Dallaeus.

Ad efficaciorum Hereticorum, Dallaei praesertim, impugnationem, observandum est, Decretum Concilii Trid. sess. 14. cap. 5. de modo, sive secreto, sive publico confitendi peccata. Quoad modum, inquit, secreto apud solum Sacerdotum. Etsi Christus, non obtulerit, quia aliquis in vindictam suorum scelorum, & sui humilitationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiae offensam aificationem, delicta sua publicè confiteri non possit; non est tamen hoc divino praeccepto mandatum, nec satis consultè humana aliqua Lege praecipitur, ut delicta praesertim secreta publica essent confessione aperienda. Unde, cum a sanctissimis & antiquissimis Patribus, magno unanimique consensu secreta confessio sacramentalis, qua ab initio Ecclesiae sancta usata est, & modo etiam utitur, fuerit semper commendata, manifestè refutatur inanis eorum calumnia, qui eam a divino mandato alienam, & inventum humanum esse, atque a Patribus in Concilio Lateran. congregatis initium habuisse, docere non verentur.

Ex qua Doctrina Estius in 4. d. 17. §. 8. Suarez disp. 21. de conf. sect. 2. Coninck disp. 6. de qual. Conf. Tournely q. 6. de poenit. art. 2. Berti l. 34. c. 2. & alii inferunt, non esse de essentia confessionis sacramentalis, quòd sit secreta & articularis, sed possit aliquando laudabiliter fieri publicè; licet id, neque Jure divino, neque humano sit necessarium: ad essentiam autem confessionis pertinere tantum, quòd peccata quocumque modo, sive secreto, sive publicè, declarentur Sacerdoti ad obtinendam absolutionem; usum tamen confessionis secretae fuisse in Ecclesia servatum, & hinc merito retinendum. Hac observatione pracluditur effugium solum Dallaei, qui ad argumenta nostra ex Traditione continuo reponit ea esse intelligenda de confessione publica. Estò enim id tam esset verum, quàm est falsum, nihil obtineret, cum modus confessionis non pertineat ad ejus essentiam, sufficientique, sive secreta sit, sive publica, quòd agnoscat necessaria ad obtinendam vi clavium remissionem peccatorum.

§. II. Necessitas confessionis sacramentalis asseritur.

Deo. (Suppl. q. 6. art. 1. o.) Confessio sacramentalis est omnibus post Baptismum lapsis necessaria Jure divino. Est de fide decisa in Concilio Trid. sess. 14. Can. 7. his verbis: Si quis dixerit, in Sacramento Poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse Jure divino confiteri omnia & singula peccata mortalia, &c. anathema sit. Et patet ex jam dictis art. 1. hujus Tract. in quo probavimus, esse in Ecclesia remedium contra peccata post Baptismum commissiva; illud esse institutum per modum actus judicialis; iudicium autem fieri non posse sine cognitione causae, quae haberi non potest, nisi per confessionem. Sed quia praesens quaestio est maximi momenti contra Hæreticos hodiernos, iterum & accuratius est expendenda. Itaque

Prob. 1. jam dicta ratione, fundata in Scriptura, & qua

utitur Concilium Trid. sess. 14. cap. 5: Quicumque mortalis peccati post Baptismum rei sunt, teneantur Jure divino quaerere reconciliationem cum Deo, & peccatorum veniam per medium ab ipso institutum; atque medium a Deo institutum ad reconciliationem cum ipso, & peccatorum post Baptismum commissorum veniam obtinendam, est confessio peccatorum, nondum in genere, sed & in specie, Sacerdoti facta: ergo. Maj. est certa. Probat. Min. Christus instituit Sacerdotes judices & medicos, sine quorum sententia & curatione nemo lapsus post Baptismum potest reconciliari & sanari; atqui non possunt hoc iudicium exercere incognita causa, nec aequitate remediis, si in genere tantum, & non in specie ac sigillatim peccatores eis sua peccata declarent, & vulnera aperiant: ergo. Min. videtur evidens. Prob. Maj. quam negat Calvinus, invictissimis Scripturae testimoniis. Christus Matth. 16. promittit claves Regni Caelorum, & potestatem ligandi & solvendi Matth. 18. idem promittit omnibus Apostolis; & Joannis 20. hanc potestatem de facto eis confert dicens: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos... Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt; atqui Apostolos & eorum successores habere claves Regni Caelorum, posse ligare & solvere, remittere & retinere peccata, est eos esse a Deo constitutos judices & medicos, sine quorum sententia & curatione nemo lapsus cum eo reconciliari potest & sanari; non enim sunt inter ipsum & homines alii iudices constituti, nec alii medici sanandis peccatorum vulneribus designati: ergo. Ita Minor magis adhuc elucidabitur ex responsionibus Hereticorum.

Dicunt itaque 1. haec testimonia intelligenda esse de potestate remittendi & retinendi peccata per Baptismum, vel per ministerium praedicandi, quo excitetur in animis audientium fides, qua credunt peccata sibi esse remissa. Sed contra 1. vel intelligunt de Baptismo suscipiendo, vel de ejus memoria. Primum dici non potest; quia, cum semel conferatur Baptismus, lapsus postea non esset amplius remedium, quòd negant. Adde, quòd potestas clavium, seu jurisdictionis exerceri non possit, nisi in eos, qui per Baptismum jam sunt in Ecclesia. Secundum etiam dici non potest; quia alias Sacerdotes non haberent potestatem retinendi peccata, cum impedire non possent, quia baptizatus Baptismi suscepti non recorderetur. Insuper facilis reconciliaretur lapsi post Baptismum, quàm ante; quod est absurdum, cum post Baptismum sint magis ingenti, & magis peccatores.

Quod autem dicunt de ministerio praedicationis, aperta est Scripturae contorsio; 1. Quia claves dari non solent ad significandum ostium esse apertum vel clausum, sed ad claudendum & aperiendum. 2. Ligare & solvere non est significare, esse solum, aut ligatum, sicut remittere & retinere peccata non est significare & annuntiare esse remissa, vel non esse remissa. Unde Christus non dixit: quorum remiseritis, erant remissa; & quorum retinueritis, erant retenta: quòd debuisset dicere in sensu adversariorum. Sed dixit: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; quocumque solveritis, erit solutum; & quòd ligaveritis, erit ligatum. 3. Quia alias nihil speciale Petro & Apostolis concessum esset, cum omnes etiam Laici possint in aliis excitare fidem de remissione peccatorum; imò magis ipsi fideles dicerentur se solvere, sibi peccata remittere, quàm id fieri a Sacerdotibus: nam, si hi dicantur remittere peccata, qui excitant ad fidem de eorum remissione, a fortiori ille, qui fidem hanc elicit. 4. Tandem inde sequeretur, quòd Sacerdotes non haberent potestatem ligandi & retinendi peccata, cum etiam ipsis invidis talis fides haberi possit.

Dicunt 2. Estò possint Sacerdotes solvere & ligare; non tamen inde sequitur, necesse esse ad eorum tribunal accedere. Nam Dominus non dixit: Et quaecumque non solveritis, non erunt soluta. Itaque solvere poterunt eos, qui eorum ministerio uti voluerint, sed poterit etiam peccator alia ratione sine ipsorum ministerio reconciliari. Quemadmodum Judices Regum auctoritate constituti possunt judicare omnes, qui ipsorum opera uti voluerint, non tamen coguntur, qui lites habent, ad publicos illos judices accedere, sed possunt arbitros eligere, aut etiam ipsi per suam causam componere, aut ipsum Regem directè adire. Sed contra. Licet privati homines possint lites, quas inter se habent, sine publicorum iudicium sententia componere; non possunt tamen eas lites componere, quas cum Rege ipso habent, nisi eo modo, qui placuerit Regi; & si Rex voluerit hujusmodi causas non nisi per Judices a se institutos dirimi, eos adire necesse est. At omnia peccata nostra sunt causae, quas habemus cum Deo, & quamvis unicuique sit liberum directè adire Deum cum sincera cordis contritione, & ita ab ipso absolvi; atramen non potest esse sincera haec cordis contritio, nisi includat voluntatem adhibendi remedium, seu faciendi quòd Christus praescripsit; Christus autem praescripsit, quòd

quod peccatores se subicerent iudicio Sacerdotum, quos suo loco iudicis esse voluit. Unde, licet Christus non dixerit expressè & explicitè: Quæcumque non solveritis, non erunt soluta; aperit tamen colligitur, tum ex illis verbis: *Quæcumque solveritis, erunt soluta; quorum remisistis peccata, remittentur*, quibus Sacerdotes constituntur Iudices in causis contra Deum: tum maxime ex istis: *Quæcumque ligaveritis, erunt ligata; quorum retinueritis peccata, retenta sunt*. Si enim fideles, citra Sacerdotum auctoritatem, solvi, & obtinere possunt remissionem peccatorum, falsum est, quod id foret ligatum, quod ligaret; quod retenta essent peccata, quæ retinent. Insuper, si voluntas Christi non esset, lapsos a Baptismo conteri peccata sua Sacerdotibus, frustra dedisset illis potestatem absolvendi. Quis enim nisi Deo iubente sua eis peccata exponeret? Frustrâ dedisset claves Regni Cælorum, si eam frustra claves alicui darentur, si alia, non minus facili, imò & facilliori, via pateret introitus.

Instit. 1. Sacerdotes sunt Iudices peccatorum venialium, quando ipsis subijciuntur, & tamen non est obligatio ea ipsis subijcendi: ergo idem de peccatis mortalibus. 2. Per Baptismum Sacerdotes peccata remittunt, & tamen ad Baptismum non est necessaria peccatorum confessio: ergo. R. ad 1. Disparitas est, quod ex institutione Christi ea tantum necessario solvenda sunt a Sacerdotibus in terris, quæ ligant in Cælis; sola autem mortalia, quæ gratiam & charitatem destruant, ligant in Cælis; non venialia, quæ compatitur gratiam & charitatem, & idem variis aliis modis remitti possunt. Ad 2. Disparitas est, quod in Baptismo non exerceatur iudicium de peccatis remittendis aut retinendis, puniendis & sanandis; sed est nudum ministerium regenerandi Christo, remittendi peccata, & adoptandi Ecclesie; ante cuius adoptionem nullam Ecclesia in peccatores habet jurisdictionem, quamvis tamen ejus sit muneri explorandi per praviam aliquam pietatis opera dispositionem eorum, qui baptizari petunt. At in Pœnitentia exercetur iudicium in peccata remittenda, vel retinenda, puniendi & sanandi; quod iudicium exerceri non potest, nisi ipsa peccata distincta declarentur. Cætera, quæ contra hanc probationem objicit Dallæus, admodum levia sunt, nec seria responsione digna. Omitto alias Scripturæ auctoritates, quæ solent in probationem Conclusionis a pluribus proferri, 2. Cor. 5. Jacobi 5. Act. 19. 1. Joann. 1. quia non nisi probabiliter intelliguntur de Confessione Sacramentali.

Antequam aggrediar probationem ex Traditione, observandum est, Novatores non negare peccata publica Pœnitentia & confessioni publice olim fuisse subjecta; at contendent, peccata occulta nequidam secretæ confessioni fuisse obnoxia. Contra quos

Prob. 2. Conclusio ex Traditione. Confessio sacramentalis peccatorum non solum publicorum, sed etiam occultorum, quibus nunc agitur inter Catholicos, fuit in usu ab exordio Ecclesie: ergo est instituta a Christo ut necessaria, & per Apostolos ad nos transmissa. Patet Cons. 24. quia juxta regulam Aug. l. 4. de Bapt. contra Donatist. c. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Concilium institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum creditur*. Tum quia confessio peccatorum secretorum & pudendorum res est adeo ardua & difficilis, ut nunquam tot sæculis observata fuisset, nisi a Christo ut necessaria foret instituta.

Prob. Ant. selectis Patrum testimonium secundum seriem sæculorum; omnia enim referre foret immensum. Ex 1. sæculo legendi sunt S. Clemens Ep. 2. ad Corinth. & l. 7. Constitut. Apost. c. 14. Ex 2. S. Irenæus l. 1. adversus Hæreses c. 9. Eodem sæculo Tertullianus libr. de Pœnit. c. 4. dicit, peccata etiam cogitationis esse accusanda, quia singulis poena est imponenda: *Omnibus, inquit, delictis, seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, qui poenam per iudicium destinavit, idem & veniam per pœnitentiam sponddit*. Et infra c. 9. ostendens necessitatem confessionis ex necessitate satisfactionis imponendæ; *Tantum, inquit, revelas confessio delictorum, quantum dissimulatio exaggrat*. Confessio enim satisfactionis consilium est, dissimulatio contumacia... is actus, qui magis græco vocabulo exprimitur & frequentatur, *Exomologesis est, qua delictum Domino nostro confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur, itaque Exomologesis prostermendis & humiliandis hominis disciplina est*. Nec te moveat, quod dicit confitendum Domino; aut dicas, loqui de confessione peccatorum publicorum. Intelligit namque confiteri Domino, dum quis confitetur ejus Ministro; patet ex subjunctis, dum addit paulò infra, eos, qui Domino confitentur, *Presbyteris aduolvi, & perosque a confessione abstinere, pudoris magis memores, quam salutis*, quod nec de Deo, neque de peccatis publicis intelligi potest: ac tandem concludit, confessionem fieri Do-

mino, dum fit uni, vel alteri Ministro, quia in uno & altero Ecclesia est, Ecclesia verò Christus: ergo cum te ad gemina fratrum presentis, Christum contractas, Christum exoras. Et in priori textu formaliter exprimit peccata secreta cogitationis.

Sæculo 3. S. Cyr. libr. de lapsis c. 12. *Confiteantur, inquit, singuli, queso vos, fratres dilectissimi, delictum suum; dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti ejus confessio potest, dum satisfactio & remissio facta per Sacerdotes apud Deum grata est*: Et infra: *Quantò & fide majores & timore meliores sunt, qui quamvis nullo sacrificio aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc cogitaverunt, hoc ipsum apud Sacerdotes Dei dolent & simpliciter confitentur, exomologesim conscientie faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam, parvis licet & modicis vulneribus exquirunt, scientes scriptum esse: Deus non irridetur*. Apertum est Cyprianum loqui de confessione faciendi Sacerdoti, de confessione occultorum, scilicet cogitationis; ac tandem de confessione secreta, cum peccata interna nunquam fuerint obnoxia confessioni publicæ, ut dicam infra.

Eodem sæculo Origines hom. 3. in Levit. enumeratis variis modis obtinendi veniam peccatorum oratione, elemosyna &c. subjungit: *Est adhuc & septima, licet dura & laboriosa, per pœnitentiam remissio peccatorum, cum laxat peccator in lacrymis stratum suum, & sunt ei lacryme suo panes die ac nocte, & cum non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum suum, & querere medicinam*. Et hom. 2. in Ps. 37. postquam asseruit, necessariam esse confessionem, ut peccator veniam consequatur, sicut necesse est infirmo noxium humorem ejicere e stomacho ad sanitatem recuperandam, addit: *Tantummodò circumspice diligentis, cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condendi & compatendi novit disciplinam; ut ita demum, quod ille dixerit, qui se prius & eruditum medicum ostenderit & misericordem, si quid consilii dederit, vel retinenda, puniendi & sanandi, si intelligerit & præviderit talem esse languorem tuum, qui in conventu tui edificari poterunt, & in ipse facile sanari, multa hac deliberatione & satis perito medici illius consilio procurandum est*.

Ex his habes, non solum Confessionem secretam secretorum peccatorum, sed etiam Confessionem secretam totum deducere ex publica, seu confessione, seu pœnitentia; sed e contra Confessionem secretam prævisse publice, tum pœnitentia, tum Confessione, & utriusque indicendæ fuisse normam & regulam, de quo iterum infra. Nec est quod respondent Hæretici, Originem non dicere hunc medicum esse Sacerdotem. Estò enim id in hoc secundo, textu non dicat, dicit in priori; hic autem loquitur de Confessione, quæ solebat fieri, scilicet Sacerdoti; cuius moris meminerat in priori textu.

Sæculo 4. S. Basilius in Regulis brevioribus, responsione ad Q. 288. *Necessariò, inquit, iis peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum fidei*. Et q. 100. prohibet, dum soror (Monialis) Presbytero confitetur, Antistitem ipsam adesse. Eodem sæculo S. Gregor. Nyss. Ep. Canon. ad Letojum Episcopum Melitensem. Qui autem, inquit, occulta subtractione sibi alienum usurpat, ac deinde per Confessionem peccatum suum Sacerdoti aperit, studio, quod circa contrarium illius vitii adhibebit, morbum curabit. Eodem sæculo S. Ambrosius, referente Paulino in ejus vita: *Quotiescumquè illi aliquis ob percipiendam pœnitentiam lapsus suos confessus est, ita flebat, ut illum flere compelleret, videbatur enim sibi cum jacente jacere*. Hanc autem Confessionem esse secretam, & peccatorum occultorum, patet; prosequitur enim Paulinus: *Causas autem criminum; quas illi confitebantur, nulli nisi Domino soli, apud quem intercedebat, loquebatur, bonum exemplum relinquens posteris Sacerdotibus, ut intercessores apud Deum magis sint, quam accusatores apud homines*. Idem S. Ambros. l. 1. de pœnit. c. 17. contra Novatianos: *Si quis, inquit, occulta crimina habens, propter Christum tamen studiosè pœnitentiam egerit, quomodo isthic recipit (remunerationem scilicet pœnitentia, de qua loquitur) si est communio non refunditur? Id aperit supponit peccata occulta fuisse declarata. Quod autem Dallæus reponat, legendum esse multa, & non occultia, obstinate mentis commentum est contra fidem omnium codicum, ut ostendunt novi Editores Benedictini. Idem Ambros. l. 2. de pœnit. c. 1. *Et nos ergo non erubescamus fateri Domino peccata nostra*. Manifestum est, quod intelligit de Confessione facta Ministro Dei; nemo enim erubescit peccata sua confiteri soli Deo, cui magis quam nobis nota sunt peccata nostra. Legendus insuper Ambrosius in Psalm. 38. & 118. & libr. 5. in Lucam, ubi agnoscit in Sacerdotibus iudiciariam ligandi & solvendi potestatem, quæ, ut probatum est, exerceri non potest sine Confessione. Legendi ejusdem sæculi Lactantius l. 4. instit. c. 17. Hi-*

Hilarius Pictav. in comment. in Matth. Pacianus in exhortat. de pœnit. Athanasius tom. 1. in hæc verba Evangelii, *Invenietis pullum asinam, &c.* sed & c.

Eodem sæculo Chrysostomus, cuius auctoritate abutantur Novatores. Is Orat. seu Hom. de muliere Samaritana: *Intueamur & nos, inquit, hanc mulierem Samaritanam, & propria peccata non erubescamus, sed Deum timeamus*. ... qui enim homini detegere peccata erubescit, Deo vero cernente facere non erubescit, neque confiteri vult, & pœnitentiam agere, in die illa non coram uno, vel duobus, sed universo terrarum orbe spectante traducetur: Idem hom. 2. de cruce, & latrone: *Si latronem in cruce tanto honore dignatus est, multò magis nos in ista sua benignitate dignabitur, si voluerimus peccatorum Confessionem instituire*. Ut igitur, & nos benignitate illius perfuamur, peccata propria confiteri non erubescamus. Magna enim Confessio nis vis est, & multa ejus potentia. Idem libr. 2. de Sacerdotio, affertis discrimen inter Sacerdotes veteris, & novæ Legis; *Corporis lepram, inquit, purgare, imò potius nullatenus purgare, seil purgatos probare tantum, Judæorum Sacerdotibus licebat: Hi vero non lepram corporis, sed immunditiam animæ, non purgatum probandi, sed potius purgandi potestatem acceperunt*. Dixerat prius: *Multa quidem arte opus est, ut ægri Sacerdotum remediis liberentur se subijcere suadeantur*. Et: *Adcirco Pastori multa opus esse prudentia, ac sexcentis oculis, undique anime statum circumspicere*. Idem hom. 30. in Genes. *Quia in magnam hanc herbosam admodum pervenimus Dei gratia, nunc maxime, & jejuniis cursum intendendum, & magis continuandæ sunt preces, faciendaque diligens, & pura peccatorum Confessio? Scit inimicus noster, quod per tempus illud possumus de iis, quæ ad nostram salutem attingunt, loqui, & peccata declarare, seu aperire, & detegere vulnera nostra medico, & sanitatem consequi*. Et hom. 9. in c. 6. ad Hebr. *Strum autem dicit: Sum peccator; ea autem per species non cogitat, ac supputat, & non dicit: hoc & illud peccatum admitti, nunquam cessabit; semper quidem confitens, curam autem nullam gerens correctionis*.

Sæculo quinto S. Innocentius Papa Ep. ad Decentium c. 7. *De pœnitentibus verò, qui sine ex gravius commissis, sine levioribus pœnitentiam gerunt, si nulla interveniat ægritudo, quanta feria ante Pascha eis remittendum Romane Ecclesie consuetudo demonstrat*. Cæterum de pondere astimandum delictorum Sacerdotis est iudicare, ut attendat ad Confessionem pœnitentis, & ad fletus, atque lacrymas corrigentis, ac tunc jubet admitti, cum viderit congruam satisfactionem.

Eodem sæculo S. Hieronymus comment. in c. 10. Ecclesiastæ ad hæc verba: *Si memoreris serpens in silentio: Si quem, inquit, serpens diaboli oculis non morderit, & nullo consilio cum peccati veneno infecerit; si tacuerit, qui percussus est, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus suum fratri, & magistro voluerit confiteri, magister, qui linguam habet ad curandum, facile ei prodesse non poterit*. Si enim erubescat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina non curat. Idem libr. 3. commentarii in c. 16. Matth. ad hæc verba: *Et tibi dabo claves Regni Cælorum: Istum locum, inquit, Episcopi, & Presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio, ut vel dament invidentes, vel solvere se noxios arbitrentur*. ... Hic alligat, vel solvit Episcopus, & Presbyter, non eos qui insontes sunt, vel noxii, sed pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, quique solvendus.

Eodem sæculo Augustinus serm. 2. in Ps. 101. *Cum audis, hominem penitere peccatorum suorum, jam revisit: Cum audis, hominem confitendo proferre conscientiam, jam de sepulchro eductus est, sed nondum solutus est: Quando solvitur? A quibus solvitur? Que solveritis, inquit, in terra, erunt soluta & in celo*. Idem enarrat in Ps. 66. *Conscientia tua sanieum collegerat, apostema medicus tumerat, cruciabat te, requiescere non sinebat: Adhibet medicus fomenta verborum, & aliquando secat, adhibet medicinale ferrum in correptione tribulationis. Tu agnosce medicum manum, confitere, exeat in Confessione, & defluat omnis sanies*. Idem serm. 392. de pœnit. *Implicatus igitur mortiferorum vinculis peccatorum detrahet, aut differet, aut dubitat confugere ad ipsas claves Ecclesie, quibus solvitur in terra, ut sit solutus in celo*. Veniat ad Antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur. A Prepositis Sacramento accipiat satisfactionis sue modum. Idem serm. 392. *Conjugatos adulteros sic alloquitur: Agite pœnitentiam, qualis agitur in Ecclesia, ut oret pro vobis Ecclesia. Nemo sibi dicat: occultè ago, apud Deum ago; novit Deus, qui mihi ignoscit, quia in corde meo ago: ergo sine causa dictum est: que solveritis in terra, soluta erunt in celo? Ergo sine causa sunt claves dant Ecclesie Dei? Frustramus Evangelium, frustramus verba Christi: Promittimus vobis, quod ille negat? Idem serm. 393. *Pœnitentes, pœnitentes, pœnitentes, (si tamen estis pœnitentes, & non irridentes, mutate vitam, reconciliamini Deo. Et vos cum catena pascitis Qua, inquit, catena? Quæ ligaveritis**

in terra, erunt ligata & in celo. Audis ligaturam, & Deo putas facere imposturam. Et in fine: *Quia si ad ultimum vita steterit, nescit si ipsam pœnitentiam accipere, ac Deo, ac Sacerdoti peccata sua confiteri poterit*. Hæc ultima verba sunt planè decretoria.

Eodem sæculo Leo magnus Ep. 80. nunc 136. c. 3. contra requirentes publicam Confessionem sic loquitur: *Illam etiam contra Apostolicam regulam præsumptionem, quam nuper agnovi a quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri, ne de singulorum peccatorum genere libellis scripta professio publicè recitetur: cum reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari Confessione secreta*. Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur, tamen, quia non omnium hujusmodi sunt peccata, ut ea, que pœnitentiam poscunt, non timeant publicare, removeatur tam improbabilis consuetudo, ne multi a pœnitentia remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut metunt inimicis sui sua facta reserari, quibus possint legum constitutione percelli. Sufficit enim illa Confessio, que primùm Deo offertur, tum etiam Sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium peccatorum accedit: Tum enim de minimis plures ad pœnitentiam poterunt provocari, si populi aurius non publicetur conscientia confitentis.

Idem Ep. 91. nunc 82. *Multum enim utile, ac necessarium est, ut peccatorum reatus ante ultimum diem sacerdotali supplicatione solvantur*. ... Unde oportet unumquemque Christianum conscientie sue habere iudicium, ne converti ad Deum de die in diem differat, nec satisfactionis sibi tempus in fine vite sue constituat, quem periculo ignorantiæ humana concludit, ut ad paucorum horarum spatium se reserret incertum; cum possit plenioris satisfactione indulgentiam promereri, illius temporis angustias eligat, quo vix inveniat spatium, vel confessio pœnitentis, vel reconciliatio Sacerdotis. Hoc utroque textu jugulatur dogma hæreticum.

Sæculo 6. Gregorius Magnus hom. 26. in c. 20. Joann. *Lazarus ergo, inquit, dicitur Veni foras, ac si aperte conciliet mortuo in culpa diceretur, cur reatum tuum intrâ conscientiam abscondis? Foras jam per Confessionem egredere, qui apud te interius per negationem lates: veniat itaque foras mortuus, id est, culpam confiteatur peccator. Venientem verò foras solvant Discipuli, ut Pastores Ecclesie ei panem debeant amovere, quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit. Hæc de solutionis ordine breviter dixerim, ut sub magno moderamine Pastores Ecclesie, vel solvere studeant, vel ligare*. Legendus insuper Gregorius libr. 3. & 29. moral.

Eodem sæculo Joannes Jejunator, qui anno 885. sedebat Patriarcha Constantinop. in suo Libello pœnitentiali, quem Martinus edidit in calce Commentarii de administratione Sacramenti Pœnitentia, inducit Sacerdotem sic alloquentem, & interrogantem pœnitentem: *Spiritualis fili, ego confessionem tuam primarè, & præcipuè non recipio, nec tibi absolutionem concedo, sed per me Deus ... cum secundum multam, que exprimi non potest, ejus misericordiam ita dixit: Quæcumque ligaveritis, id solvitur super terram, erunt in Cælis, illa quidem ligata, hæc verò soluta. Revela igitur, & declara coram sanctis Angelis, nihilque me cæca eorum, que a te clam facta sunt, velut si Deo occulta cordium cognoscenti confitereris*. Tum inducit Sacerdotem interrogantem de numero, & circumstantiis peccatorum ad hunc modum: *Quomodo Domine Frater, vel Soror primùm virginitas tua corrupta est? Per fornicationem, vel legitimum Matrimonium, vel per militiam, aut aliquid eorum, que sunt contra naturam? Consententem verò, & dicentem, sic & sic, ipsum interrogat, in quot mulieres incidit, antequam uxorem duceret: num aliquæ earum essent ancilla, quante vidua, & quante nuptæ; num aliquæ monachæ, & quot; num aliquæ magnam habitum gestarent? Similiter de aliis præceptis.*

Hic sicut, quia ad hæc sæcula, que puriora reputant Novatores, maxime attendunt, nec plura fore institutum nostrum. Quantum ad sequentium sæculorum Patres, Concilia, libros pœnitentiales, & Theologos, vide Bellarmin. Nugno, Witsæ Juenim, &c. Verùm, que diximus, plusquam sufficient ad revincendos Novatores apertæ falsitatis, & putidæ calumpniæ, dum dicunt præceptum Confessionis sacramentalis esse inventum Innocentii III. in Concilio Later. quodque ideo irrisorè vocant. Tormentum Innocentianum. Ad hæc, omnem verisimilitudinem superat, quod ista lex tam ardua, dura, & difficilis, sine Scripturarum, & Traditionis suffragio, ab omnibus totius orbis Ecclesie fuerit recepta, nemine reclamante, aut conquirente. Quis enim tunc reclamavit? Quis conquestus est? Insuper ex ipsis terminis Confessionis in capite, *Omnis utriusque sexus, evidens est in eo non agi de natura, aut substantia Confessionis, sed de ejus circumstantiis tantum, scilicet de tempore, ut fiat semel in anno; & de ministro, ut fiat proprio Sacerdoti*.

## §. III. Solvuntur objectiones.

**O**BJ. 1. celebre factum Nectarii, ex quo sic argunt Hæretici. Quod ab Ecclesia fuit institutum, & deinde ab eadem abrogatum, non est Juris divini; atqui Confessio fuit ab Ecclesia instituta, & per Ecclesiam abrogata: ergo. Prob. Min. Socrates libr. 5. Hist. c. 19. narrat occasione Novatianorum, qui conquirebantur peccatores facilius a Catholicis admitti ad reconciliationem, institutum fuisse Presbyterum Pœnitentiarii, cui lapsi post Baptismum sua peccata confiterentur. En Confessionis institutio. Deinde occasione alicujus scandali hunc Pœnitentiarii saculo subsequenti a Nectario Episcopo Constantinop. sublatum fuisse. En Confessionis abrogatio. Ergo. Idem refert Sozomenus Socrati cœvus libr. 7. c. 16. excepto quod Sozomenus dicat, hunc Pœnitentiarii non occasione Novatianorum, sed *Ab initio* fuisse institutum. Omissis variis solutionibus, quas huic argumento Theologi adhibent, R. ex hac narratione non colligi institutionem, & abrogationem Confessionis sacramentalis, sed Pœnitentiarii tantum, cujus præcipuum munus erat præse peccati publicæ, & idè inquirere in mores fidelium, recipere depositiones testium de quorundam criminibus, reos ad se vocare, & convictos Confessionis, seu peccati publicæ addicere, audita prius eorum Confessione secreta, atque invigilare, ut peccati stadium juxta Canones accurate decurrerent: Pœnitentiarii enim dicebatur a Pœnitentibus, Pœnitentes olim ii soli dicebantur, qui erant ad dicti Pœnitentiæ publicæ, ut liquet ex Concilio Toletano I.

Cum itaque mulier quædam nobilis huic Pœnitentiario esset confessa, & ipsa sive proprio motu, sive studente Pœnitentiarii, peccata quædam publicè confiteretur, longius progressa indiscretè prodidit se compressam fuisse a Diacono in Ecclesia, dum ibi peccati ageret. Undè graviter commotus fuit populus, & Diaconus exactoratus. Ratione igitur hujus scandali Nectarius amovit Pœnitentiarii quoad munia peccati publicæ spectantia, intacto suo Confessionis secreta, qui remansit in eo statu, in quo erat antè institutionem hujus Pœnitentiarii; quod patet 1. Quia Nectarius sustulit tantum, quod fuerat occasio scandali; non autem Confessio secreta, sed Confessio, seu Pœnitentiæ publicæ fuit occasio scandali. 2. Quia legitur, amovisse Pœnitentiarii tantum, non autem alios Sacerdotes Confessionis secretis excipiendis propositis, qui proinde permanserunt ut antè; alios enim præter Pœnitentiarii Confessionibus excipiendis designato constat tum ex Origene inter probationes citato, tum ex Eusebio, qui libr. 6. c. 36. refert, Serapionem morti proximam advocasse unum ex Presbyteris, dispensationi Sacramentorum a Dionysio Alex. propositis, ut ab eo beneficium reconciliationis reciperet i tum denique, quia unus Confessarius impar fuisse excipiendis Confessionibus numerosissimè civitatis, qualis erat Constantinopolis tempore Nectarii.

Et hæc est communior hujus argumenti solutio, excepto quod quidam arbitrantur, hanc mulierem non declarasse Pœnitentiarii in Confessione hoc suum facinus cum Diacono, quod nondum perpetrasset; sed facta Confessione, cum ratione Pœnitentiæ a Pœnitentiario injunctæ in Ecclesia moraretur, ibidem a Diacono fuisse corruptam, & hoc ipsam indiscretè prodidisse, ex quo palam innoteat, & indè ortum scandalum, ac commotio populi. Ad hanc autem intelligentiam moventur, quia licet juxta versionem Christophoroni legatur in Socrate, *Mulier longius in confitendo progressa alterius culpe se ipsa insimulat;* advertunt tamèn, in textu græco Socratis non usurpari vocem Confessio, seu confitendo, sed quod mulier *dixerit*, seu *commemoraverit* suum crimen; & cum hoc dixisset, Diaconus ejectus est, & populus commoveri cepit. Idque apertius exprimit Sozomenus citatus: *Matrona quædam nobilis*, inquit, *ob peccata, quæ confessa fuerat, jussa ab hoc Presbytero jejunare, ac Deum suppliciter exorare; dum hujus rei causa in Ecclesia moraretur, a Diacono se stupratam esse prodidit. Quo cognito, plebs omnis vehementer succensit, ed quod contumelia illata esset Ecclesie, nec mediocri probro expositi erant sacri ordinis viri.* Ex quo patet, mulierem hoc peccatum admisisse post peractam Confessionem, dum causa peccati injunctæ perageret esset in Ecclesia, sicutque non a Pœnitentiario, aut ejus jussu fuisse vulgatum, sed ab ipsa spontè, & indiscretè proditum. Dicit itaque, Nectarium statuisse, ut post sacramentalem Confessionem non ageretur amplius in Ecclesia illa peccati publicæ, cui præerat Pœnitentiarius, ne viris cum mulieribus simul in Ecclesia commemorantibus aliquid simile deinceps contingeret, & sic amotum fuisse Pœnitentiarii, seu ut dicit Sozomenus, *Presbyterum, qui agende peccati præpositus erat, abolevit* Nectarius. Hæc explicatio probabilitate non caret, sed quoad substantiam solutionis a præcedente non differt.

Inst. 1. Socrates, & Sozomenus referunt, post exactora-

tionem Pœnitentiarii unicuique permisit fuisse pro arbitrio, & animi sui conscientia, ad Sacramentorum communionem accedere: ergo nullius Confessionis necessitas amplius urgebat. R. N. Conseq. Hoc enim loquendi modo Socrates, & Sozomenus nihil aliud significare intendunt, quàm quod Pœnitentes non arcerentur amplius a participatione Sacramentorum per Pœnitentiarii, donèc, adimpleta peccati publicæ ab ipso injuncta, ad eam admitterentur; sed quod, non expectato hoc tempore, & independenter a licentia Pœnitentiarii, quilibet posset pro suo arbitrio ad communionem accedere, modò tamèn a culpa purus, aut per Confessionem, si necesse foret purgatus.

Inst. 2. Nectarius non abrogavit peccati publicæ peccatorum publicorum, adhuc enim vigeat tempore Chrysostomi successoris Nectarii, ut patet ex S. Doctore hom. 3. in Ep. ad Ephes. 9. & 12. in Ep. ad Hebr. non abrogavit Confessionem publicam peccatorum occultorum, quia nunquam fuit in præcepto: ergo abrogavit privatam Confessionem. R. N. Cons. 1. Quia, licet non abrogavit peccati publicæ, posset dici, quod abrogaverit Confessionem publicam; non enim idem sunt peccati publicæ, & Confessio publicæ, neque peccati publicæ semper comitatur Confessio publicæ, imò incertum est, utrum Confessio publicæ peccatorum publicorum nunquam fuerit in præcepto, ut dicam infra. 2. Quia est post factum Nectarii vigeret adhuc peccati publicæ, non erat tamèn ex jussu, & directione Pœnitentiarii, sed Episcopi, ad quem, abrogato Pœnitentiario, cura peccati publicæ indicendæ, & dirigendæ reversa est, ut antè institutionem Pœnitentiarii. Nos autem non dicimus, Nectarium abrogasse simpliciter, & absolute peccati publicæ, sed peccati publicæ, ut indicendam, & dirigendam per Pœnitentiarii, hoc est, abrogasse munus, & officium Pœnitentiarii. Verùm, ut apertè ostendam vanitatem hujus argumenti, quod ita extollunt Hæretici, sic illud contra ipsos retorquero. Vel Pœnitentiarius a Nectario abrogatus excipiebatur Confessione sacramentalem peccati publicæ, vel non. Si hoc secundum: ergo abrogando Pœnitentiarii, non abrogavit Confessionem sacramentalem. Si primum: ergo vigeat in Ecclesia Confessio sacramentalis 8. sæculis antè Innocentium III. & Concilium Lateran. Ergo splendide, & inverecundè mentiuntur hæretici, dum garrunt illam esse inventum Innocentii.

Obj. 2. S. Chrysostomus, Nectarii successor, hom. 21. ad populum Antioch. dicit: *Non cogit Deus in medium procedentes quæ peccavimus annuntiare, sed sibi soli rationem reddere jubet, & sibi confiteri.* Hom. 2. in Ps. 50. *Peccata autem tua ipse commemorat, ut ea deleas. Ad quæd te peccata confiteri? Dic ea quotidie in Oratione. Non enim dico, ut ea conservo exponas qui te probis impetat, dic Deo qui tui medetur.* Et hom. 55. de Lazaro resuscitato: *Cur igitur, te quæso, pudescis, & erubescis dicere peccata tua? Non enim homini dicis, ut te probro efficiat, non enim conservo confiteris, ut in publicum proferat. Imò verò ei qui dominus est... ostendis vulnera.* Et alibi similiter. Respondent quidam ad 1. Chrysostomum ibi loqui de Confessione requisita ad Baptismum, quæ soli Deo, & non homini faciendæ est; quia ista homilia est catechesis 2. ad *Illuminandos*, id est, ad baptizandos. Ad 2. & 3. respondet, Chrysostomum non loqui de Confessione sacramentali, quæ semel fit reconciliationis causa, sed hortari populum, ut peccata licet confessa, & absolute sæpius in memoriâ revocet cum eorum detestatione ad pleniorè expiationem; quod non obest Confessione sacramentali. Hæ solutiones non sunt improbandæ. Attamen Responsio communior est, S. Chrysostomum his, & similibus textibus excludere dumtaxat necessitatem Confessionis publicæ. Dicit enim in 1. *Non cogit Deus in medio procedentes quæ peccavimus annuntiare:* in 2. *Non dico tibi, ut ea dicas conservo tuo, qui te probis impetat.* In 3. *Non enim confiteris conservo tuo, ut in publicum proferat.* Similiter alii textus qui solent obijci. Hæc autem omnia important Confessionem publicam, ex qua erubescit, pudor, infamia, & exprobrationes nasci solent. Nec, quod bene advertas, unquam dixit Chrysostomus: *Ne confitearis Sacerdoti, ne declares peccata tua. Ministro Dei;* sed contra oppositum docet in locis, a nobis inter probationem citatis. Cùm ergo dicit, soli Deo esse confitendum, non excludit ejus Vicarium, seu Ministrum, sed homines æqualis conditionis, quos idè *conservos* vocat, qui possent audita oratione propalare, & exprobrare. Apud Chrysost. enim, & alios Patres, quod fit per Christum, aut Dei Ministrum, dicitur fieri non per hominem, sed per ipsum Christum, aut Deum: sic ipse S. Doctor hom. 50. in Matth. dicit, hominem non operari Eucharistiam, quia operatur ut Minister Christi; quæ enim sunt per Ministrum, tribuantur principali agenti, seu mandanti; idque specialiter in hac materia, quia, ob strictissimam legem silentii, confiteri homini perinde est, ac soli Deo confiteri: & idè Sacerdos Græcus excipiens Confessiones dicit peccati: *Frater*

## DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

*ter, cum accessisti ad Deum, & ad me? Ne quæso erubescas; non enim mihi peccata enuntias, sed Deo, apud quem consistis.* Vide nostrum Goar in Euchologio, & Joannem Jejunatorem inter probationes sexti sæculi laudatum. Denique quàm expressè Chrysostomus commendat necessitatem Confessionis, liquet ex probationibus Conclusionis, ita ut nisi illam intelligas juxta explanationes datas, palpabiles contradictiones ipsi tribuere cogaris.

Inst. ex aliis Patribus. 1. S. Greg. Nyss. Ep. ad Letojum dicit, peccata avaritiæ a Patribus, qui Canones Pœnitentiæ ediderunt, fuisse prætermittenda; atqui id non potuisset dicere, si viguisset privata cum Confessio, cum Pœnitentiâ; ergo. 2. Origenes hom. 2. in Levit. inducit quosdam ex auditoribus dicentes, meliorem fuisse conditionem antiquæ Legis, ubi erant plura sacrificia pro peccatis, in nova autem esse tantum unam veniam peccatorum per Baptismum. 3. Julianus Pomerius, seu S. Prosper l. 2. de vita contemplativa proponit peccatoribus Confessionem, aut emendationem: ergo censet alterutrum sufficere, & consequenter non esse absolute necessariam Confessionem. 4. S. Basilii in Ps. 37. S. Ambrosii l. 10. in cap. 22. Lucæ. S. Hilarius in Ps. 10. S. Maximus Taurinensis hom. 3. de peccati Petri, & S. Augustini Ps. 31. docent, peccata deleri per contritionem, nulla facta mentione Confessionis. 5. Venerabilis Beda l. 1. in Luca, ad hæc verba, *Ite, ostendite vos Sacerdotibus*, dicit, Sacerdotibus esse declaranda peccata Hæresis, Judaismi, & Schismatis; & addit, *Cetera verò vitia per contritionem, in conscientia, & intellectus Dominus sanat, & corrigit:* ergo.

R. ad 1. Gregorius Nyss. loqui de peccatis Confessione publicæ Pœnitentiæ impositis, quas dicit non esse determinatas pro avaritiâ, quia est inexplebilis cupiditatis. Addit tamèn ibidem, quod, si avarus alienum injussu surperet, habeat remedium, *Dummodò per eunitionem aperiat peccatum suum Sacerdoti;* quo Dalloz os obstruit. Ad 2. ii, quos illic inducit Origenes, erant Montanistæ, quos ibi refellit verbis 1. loco citatis ex ipso inter probationes. Ad 3. Sensus Juliani est, peccata, quæ vel non declarantur in Confessione, sed si declarantur, non emendantur, fore puniendâ. Dicit enim ibid. c. 7. *Illi, quorum peccata humanam notitiam latent, nec ab ipsis confessa, nec aliis publicata, si ea confiteri, aut emendare noluerint, Deum, quem habent testem, habituri sunt ultorem.* Item ibid. adstruit necessitatem Confessionis: *Quoniam, inquit, aliorum animas quales sunt sine ipsorum Confessione nescimus.* Item nobis quælibet peccata sua, tanquam Medicis vulnera, quibus urgentur, aperire. Ad 4. Patres laudati loquuntur de contritione perfecta, quæ fatetur reposita peccata, si tamèn, post institutionem Sacramenti factam a Christo, includat votum Confessionis. Quod autem iis in locis Confessionis non meminerint, nihil probat, cum sit argumentum negativum, & alibi meminerint, ut patet ex probationibus Conclusionis, nec idem sit ubique repetendum. Insuper ibi non expositulabatur eorum institutum, cum locis citatis loquuntur de peccati Davidis, & S. Petri, quo tempore nondum erat instituta Confessio. Ad 5. Venerabilis Beda non loquitur ibi de absolute sacramentali, sed de reconciliatione, seu receptione eorum, qui sunt extra Ecclesiam, ut in ea Doctrinam fidei palam profiteantur. Loquens verò alibi de peccatis eorum, qui sunt in Ecclesia: *Gravioris lepræ immunditiam*, inquit in cap. 5. Ep. Jacobi *juxta Legem Sacerdoti pandamus, atque ad ejus arbitrium, qualiter, & quanto tempore jussur, purificari curemus.*

Repones. Aug. l. 10. Confess. c. 3. *Quid mihi ergo est, inquit, cum hominibus, ut audiant Confessiones meas, quasi sanatur sint languores meos? Curiosum genus ad cognoscendam vitam alienam, desideriosum ad corrigendam suam:* ergo. R. Aug. ibi non loqui de Confessione sacramentali, sed de Confessione publica suorum peccatorum, quam ipse scriptis vulgaverat.

Urgebis. Gratianus a. parte Decreti q. 3. in pluribus Capitulis, sed præsertim c. 87. plures auctoritates refert pro, & contra necessitatem Confessionis, & c. 89. concludit sic: *Quibus auctoritatibus, vel quibus rationum firmitatibus, utraque sententia satisfactio, & Confessionis ininitatur, breviter exposuimus; cui autem harum sit potius adherendum, Lectoris judicio reservatur: utraque enim fautores habet sapientes, & religiosos viros.* Et c. seq. 90. *Undè Theodoros Cantuariensis Episcopus ait in Penitentiali sui: quidam Deo solummodo confiteri debere peccata esse percensent, ut tota (forè) sancta Ecclesia:* ergo. Respondet S. Thom. in 4. d. 17. in expositione Textus, Gratianum referre opiniones eorum, qui tunc temporis ante Concilium Later. negabant necessitatem Confessionis ex præcepto Ecclesiastico. Respondet tunc communis, Gratianum non loqui de necessitate Confessionis ad salutem ex præcepto Christi, sed de ejus necessitate ad remissionem peccatorum. Erat tunc temporis, ut jam alibi monui, duplex sententia inter Theologos circa efficaciam Sacramenti Pœnitentiæ. Quidam dicebant, per illud remitti peccata, consequenter ad hunc effectum necessariam esse Confessionem. Alii vole-

bant, per præviam contritionem semper dimitti peccata, consequenter ad hunc effectum, nec Confessionem, nec Sacramentum esse necessariam. Non negabant tamèn, esse institutum, & præceptum a Christo, ideoque necessariam ad salutem, cujus effectus reponerent in reconciliatione cum Ecclesia, remissione peccati, & augmento gratiæ. Hanc itaque controversiam, intacta necessitate Confessionis ad salutem ex præcepto Christi, hic expendit Gratianus, & in utramque partem versat, modo probans sola contritione cordis; ante Confessionem, oris, semper remitti peccata; modò per Confessionem illa remitti. Hanc mentem Gratianus, probans plurima: 1. Titulus totius Distinctionis, qui est: *Utrum sola cordis contritione, & secreta satisfactio absque oris Confessione quisque possit Deo satisfacere?* 2. Exempla, quæ adhibet c. 34. & 37. scilicet Leprosorum, qui erant mundati, antequam se sisterent coram Sacerdotibus: Lazari, qui erat ad vitam revocatus, antequam solveretur a Discipulis: Abraham, qui erat justificatus ante Circumcisionem. 3. Ipsa expositio controversiæ, quæ clarè proponit eodem c. 37. *Non ergo, inquit, in Confessione peccatum remittitur, (ut vult prima sententia) quod jam remissum esse probatur. Fit itaque Confessio ad ostensionem penitentiam, non ad impetrationem veniæ: & sicut Circumcisio data est Abraham in signum justitiæ, non in causam justificationis, sic Confessio Sacerdoti offeritur in signum veniæ acceptæ, non in causam remissionis accipiendæ. Alii contrario testantur, dicentes sine Confessione oris, & satisfactione operis neminem a peccato posse mundari, si tempus satisfaciendi habuerit: undè Dominus per Prophetam ait: Dic tu iniquitates tuas, ut justificeris.* Et plures similitè in variis Capitulis. Nec unquam dixit, Confessionem non esse institutam, aut præceptam a Christo, seu non esse necessariam ad salutem, sed tantum non esse necessariam ad veniam, ad justificationem, ad remissionem peccatorum. Ex quibus omnibus evidenter patet, ipsum non movere, nec expendere controversiam de necessitate absolute Confessionis ad salutem ex institutione, & præcepto Christi, sed de ejus necessitate ad effectum, scilicet remissionem peccatorum. R. 3. Sed & dato, Gratianum locutum fuisse de necessitate absolute Confessionis ad salutem ex institutione, & præcepto Christi, & non solum quoad effectum, non est tanta ejus auctoritas, ut ea hæc in parte moveatur. 1. Quia, ut ajunt Estius, & Sylvius, de hac re non habuit fixam sententiam, imò juxta aliquos apertè pugnantia loquitur, ut ut totam hanc distinctionem ipsi asserunt existimant. Vel dicendum, ipsum turpius hallucinatum fuisse. 2. Quia in rebus facti est admodum suspectæ fidei. Sæpè enim Patrum testimonia truncata refert, sæpè illis addit de suo, sæpè uni tribuit quod est alterius, ut norant eruditi. Et ne alio excusamus, in ipso textu in objectione laudato, quem citat ex Theodoro Cantuariensi, ista vox ut *Græci*, & ista *ferè*, non leguntur in Penitentiali Theodori, neque in Concilio 2. Cabilonensi, ex quo istud Capitulum fuit extractum; neque in Ivone, & Burchardo. Sunt & alii naevi in eodem capitulo, pro quibus vide annotationes ibid.

Obj. 3. Nullibi legitur, fideles priorum sæculorum, sive in vita, sive in morte, Confessionem sacramentalem adhibuisse, quamquam vitam, & mortem plurium descriptam habemus: ergo prioribus sæculis non erat in usu R. i. N. Cons. Tum quia ex argumento negativo nihil evincitur, præsertim contra ea testimonia, quibus probavimus ex traditione Confessionem sacramentalem habitam semper fuisse in Ecclesia ut necessariam, consequenter fuisse in usu apud fideles; tum quia, quæ usu quotidiano frequentantur, non solent scriptis mandari, utpote omnibus nota. R. 2. N. Ant. Nam 1. S. Irenæus l. 1. de hæres. c. 13. alius 9. narrat, quasdam mulieres a Marco præstigiatore oppressas, cum in Ecclesiam redirent, erimen suum confessas fuisse. Neque dicas, ibi agi de Confessione publica: Confessio enim publica supposebat secretam, tanquam regulam directivam publicæ, ut jam dixi, & adhuc dicam. 2. S. Cyprianus Tract. de lapsis refert, plures confessos fuisse peccata cogitationum. 3. Eusebius l. 6. Hist. c. 34. refert, Philippum Imperatorem sua peccata confessum fuisse: & c. 36. Serapionem lapsum in persecutione morti proximum advocasse Presbyterum, ut ab eo beneficium reconciliationis reciperet. 4. Socrates, & Sozomenus, ut vidimus supra, referunt exemplum Confessionis illius mulieris, ex qua tantum scandalum ortum est. 5. Paulinus in vita S. Ambrosii scribit, ipsum sæpius excipere Confessiones Penitentium, de quorum peccatis nulli nisi Domino soli loquebatur. 6. Aug. Ep. 180. nunc 228. narrat, instante hostium incurso, magnum fieri ab utroque sexu & ab omni ætate concursum, alitis Baptismum flagrantibus, alitis reconciliationem, alitis Penitentiam ipsius actionem. Plura alia Confessionum exempla refert Honoratus Tournely, ut S. Fulgentii, S. Isidori Hispanensis, S. Eligii, S. Tilonii, S. Richarii, & aliorum. Vide, si lubet Q. 6. de Penitentia art. 2. Concl. 2. arg. 4.

Inst. Non legitur in Scriptura, Apostolos Confessionem frequentasse, nec eos illam primis fidelibus præcipisse: ergo. R. hoc argumentum ut antecedens eadem chorda obrerare. Negativum est, ex quo nihil evincitur: multa enim, inquit Auctor, (Suppl. q. 6. art. 1. ad 3.) facta sunt, quæ non sunt scripta. Non est scriptum in Evangelio, pueros esse baptizandos, Baptismum Hæreticorum non esse iterandum, & plura alia, & tamen hæc admittunt Hæretici. In his itaque, & similibus tenenda est regula Tertulliani libr. de corona militis c. 4. *Si Legem expostules Scripturam, nullam inventes: Traditio tibi præstatur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix.* Addit Auctor cit. Christum habere potestatem excellentiæ in Sacramento. Unde sine his, quæ ad Sacramentum pertinent, potuit ex singulari privilegio, & dispensatione rem Sacramenti conferre B. Virgini, & Apostolis.

Obj. 4. Cognitio peccati potest aliunde haberi, quam per Confessionem: ergo. R. (Suppl. q. 7. art. 1. ad 1.) quamvis cognitio ætatis exterioris possit aliunde haberi, quam per Confessionem, non tamen actus interioris, qui est principium exterioris, sicut nec doloris, & propositi. Insuper cognitio, quam habere potest Confessarius extra Confessionem, illam habebit ut homo, non ut Judex, & Christi Vicarius, sicut etiam Judex scit aliquid ut homo, quod nescit ut Judex: & quantum ad hoc per Confessionem aperitur.

Ex dictis colliges, Confessionem sacramentalem in re, vel in voto esse necessariam, non solum necessitate præcepti divini, sed etiam necessitate mediæ, eo modo quo dixi Dissert. 1. art. 5. §. 2. de necessitate Sacramenti Penitentiae, quod sine Confessione subsistere non potest. Vide ibi. Est etiam necessaria semel in anno ex præcepto Ecclesiastico c. *Omnis utriusque sexus*, ex Concilio Lateran. sub Innocentio III.

## DIGRESSIO HISTORICA

Ad art. præcedentem.

*Utrum Confessio publica aliquando fuerit in præcepto.*

Dico 1. Confessio publica peccatorum occultorum nunquam fuit in præcepto. Prob. 1. ex Concilio Trid. sess. 14. c. 5. ubi dicitur: *Non satis consultè humana Lege præcipitur, ut delicta præsertim secreta publica essent Confessione aperienda.* Ecclesia autem a Spiritu S. directa nihil unquam fecit, aut facit inconsultè. 2. Ex Chrysost. cit. Obj. 2. qui pluris docet non esse necesse, ut publice, & quasi in Theatro prodamus peccata nostra. 3. Ex Sozomeno l. 7. c. 16. ubi dicit: *Grave, ac molestum ab initio jure merito visum esse Sacerdotibus, tamquam in Theatro, circumstante totius Ecclesia multitudine, crimina sua evulgare. Itaque ex Presbyteris aliquem, qui vita integritate spectatissimus esset, & sacturnitate, ac prudentia poleret, huic officio præferunt, ad quem accedentes illi, qui deliquerant, actus suos confitebantur.* 4. Ex S. Basilio, qui Ep. ad Amphiloquium can. 34. dicit, prohibitum esse a Patribus prodere mulieres confitentes adulterium, *Ne conviciis mortis causa præbeat.* 5. Ex S. Leone, qui Ep. inter probationes laudata graviter reprehendit, & damnat *Improbabilem consuetudinem divulgandi publica Confessione peccata occulta.*

Quod si quandoquæ peccata secreta confessione publica fuerint, vel jam erant pluribus nota, sive ex Confessione libera penitentium, sive ex aliorum relatione, sive alia via: si erant omnino occulta, penitentes ex fervore penitentiae, vel ex suasionem non præcepto Confessarii, sponte ea publice confitebantur, ut mox dicam. Nec refert quod sancti Patres sæpè hortentur peccatores, ut seposito omni pudore crimina sua aperiant, nec fratrum conspectum formidant, idem intelligitur de Confessione orali faciendi Sacerdoti.

Dico 2. Peccata publica Confessioni publicæ fuisse aliquando obnoxia, ex præcepto Canonum, & lata Lege, incertum est, nec ullo antiquitatis documento evincit potest. Nec obest, quod subficerentur penitentiae publicæ; non enim, ut jam dixi, penitentiam publicam semper committatur Confessio publica. Plura peccata occulta subficebantur penitentiae publicæ, quæ tamen publicè non declarabantur. Imò plures ex zelo, & pietate proprio motu se subficebant penitentiae publicæ, qui tamen sua peccata non divulgabant.

Dico 3. Primis Ecclesiæ sæculis quidam penitentes peracta Confessione quædam peccata, non solum publica, sed etiam occulta publicè confitebantur, vel motu proprio ex fervore penitentiae, vel hortante, non tamen cogente, Confessario, in majorem vindictam, & humiliationem, atque in aliorum exemplum, & adificationem Ecclesiæ. Prob. 1. ex S. Irenæo l. 1. adversus hæreses c. 13. ubi dicit, ubi de mulieribus a Marco præstigiatore violatis dicit: *Quæ tam etiam in manifesto ecomologesim faciunt: Quædam autem reverentes hoc ipsum in silentio sensit semetip-*

*sas retrahunt.* 2. Ex Origine, qui hom. 2. in Ps. 37. dicit: *Si quid (Confessarius) consilii dederit, facias, & sequaris: si intellexerit, & præviderit talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiæ exponi debeat, & curari, ex quo fortassis, & ceteri edificari poterunt, & tu ipse facile sanari, multa hac deliberatione, & satis perito medici illius consilio procurandum est.* Locum integrum retulimus inter probationes conclusionis Articuli præced. 3. Ab exemplo illius mulieris oppressæ a Diacono, occasione cujus Nectarius officium Penitentiarum abrogavit, de quo supra. 4. Ex Aug. qui serm. 351. hortatur lapsos post Baptismum, ut clavibus Ecclesiæ se subficiant, atque *Si peccatum ejus non solum in gravi ejus malo, sed etiam in ipso scandalo aliorum est, atque hoc expedite utilitati Ecclesiæ videtur Antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere penitentiam non recuset.*

Ex his colliges, Confessionem secretam publicæ tum Confessione, tum Penitentiae semper prævisse, atque illam fuisse Sacerdotibus regulam indicendi penitentibus penitentiam canonicam, & Confessionem publicam eorum peccatorum, quæ sine famæ dispendio, & scandalo, sed in majorem penitentium utilitatem, & Ecclesiæ adificationem poterant divulgari. Quod diligenter observandum est contra Hæreticos, qui, cum Confessionis secretæ tum negare non possunt, contendunt eam derivari, ac ortum ducere ex penitentia, seu Confessione publica: cum e contra constat ex dictis publicam tum penitentiam cum Confessione a secreta derivari, & hanc fuisse publicæ normam, & regulam.

Petes, utrum ante Legem novam fuerit Confessio? R. (Suppl. q. 6. art. 2. ad 2.) in Lege naturæ fuisse Confessionem peccati interiori coram Deo, qualis debet esse etiam nunc, hæc enim est de Jure naturæ. In Lege Moysis vero oportebat aliquo signo exteriori peccatum protestari per oblationem hostiæ pro peccato, ex quo innotescere poterat Sacerdoti offenderem peccasse. At non oportebat, ut speciale peccatum a se commissum manifestaret, aut peccati circumstantias, sicut oportet in nova Lege.

## ARTICULUS II.

*Quinam teneantur ad Confessionem?*

Dico 1. (Ibid. art. 3. o.) Utrouque Jure tam divino, quam Ecclesiastico, ad Confessionem tenentur omnes, qui post Baptismum peccaverunt mortaliter. De Jure divino constat ex Art. præcedenti, & Concilio Trid. sess. 14. c. 5. ubi definit *Integram peccatorum Confessionem omnibus post Baptismum lapsis Jure divino necessariam existere.* De Jure Ecclesiastico extat Lex concilii Lateran. sub Innocentio III. his verbis: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam sibi penitentiam propriis viribus studeat adimplere.* Alioquin, & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens christiana careat sepultura. Hanc vero legem habemus in terminis confirmatam a Trid. sess. 14. cap. & can. 8.

Dico 2. Infideles, & ii ex Fidelibus, qui habent solum peccata venialia, non tenentur, neque Jure divino, neque Ecclesiastico, ad Confessionem. De Infidelibus quoad Jus divinum declarat Concil. Trid. c. 5. prius cit. dicens *Confessionem omnibus post Baptismum lapidis Jure divino necessariam existere.* Ratio est: quia omnia peccata ante Baptismum commissa per ipsum delentur sine ordine ad claves. Unde, quamvis infideles teneantur aliis præceptis divinis, non tamen isto, quia per Baptismum non sunt capaces sacramentaliter confitendi peccata ante ipsum commissa, quippe quæ per solum Baptisma deleri possunt. Quantum ad Jus Ecclesiasticum, eo illos etiam non teneri constat ex ipsa lege *Omnis*, quæ Fideles dumtaxat comprehendit: *Omnis utriusque sexus fidelis.* Et aliunde, ut dicit Trid. cap. 5. cit. Ecclesia non habet jurisdictionem in non baptizatos.

De Fidelibus, qui solum habent peccata venialia, quoad Jus divinum constat ex Trid. cap. 5. sæpè laudato, ubi postquam probavit necessitatem Confessionis mortaliæ ex Jure divino, addit *Venialia; quibus a gratia Dei non excludimur, & in qua frequentius labimur, quamquam rectè, & utiliter, citraque omnem præsumptionem in Confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat; taceri tamen circa culpam, multisque aliis remediis expiari possunt.* Quibus verbis, & assenti, & probat Conclusionem, scilicet quia Confessio est instituta ad recuperandam Dei gratiam, a qua per peccatum veniale non excludimur; item quia aliis mediis remitti potest.

Dices. Ex eo quod Apostoli Joann. 20. receperint potestatem absolvendi a peccatis mortalibus, colligimus, fideles teneri illa peccata confiteri; atque similiter acceperunt potestatem absolvendi a peccatis venialibus: ergo pari ratione possumus colligere, quod fideles teneantur confiteri peccata venialia. R. N. Cons-

Cons. Quia natura præcepti debet perpendi ex subjecta materia. Ideo autem ex his verbis colligimus præceptum divinum confitendi mortalia, quia ea faciunt hominem Deo inimicum, & ecludunt a Regno cælesti, quod tenetur homo avertere; nec aliter potest, quam per ordinem ad claves: secus de venialibus, quibus nec a gratia Dei, nec a Regno cælesti excludimur, sed tantum retardamur.

Repones. Ex his verbis: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur*, colligimus datam esse Sacerdotibus potestatem remittendi etiam venialia: ergo ex illis: *Quorum retinueritis, retenta sunt*, pari ratione colligitur eis inesse potestatem retinendi venialia; adeoque sine ordine ad claves non posse remitti. R. N. Cons. Disparitas est, quod ex eo quod aliquis possit tollere majus impedimentum, rectè colligitur posse tollere minus ejusdem ordinis; & qui habet auctoritatem condonandi majores injurias, a fortiori posse & minores. Non sequitur autem quod ex eo quod quis potest apponere impedimentum pro re gravi, possit pro minori; quod, qui habet a superiore potestatem retinendi, seu non remittendi graves injurias, possit pariter retinere leves; major enim requiritur auctoritas ad retinendas graves injurias, quæ ad retinendas graves. Sit exemplum in humanis. Legati a Rege, ad reconciliandos inimicos, vel dampnandos, missi, inquirunt reatus graves, ex quibus facti sunt inimici, eas remittunt vel retinent secundum dispositionem reorum; leves autem injurias, quæ non causarunt inimicitiam, possunt quidem remittere, cum possint graviores; at retinere non possunt, quia ad hæc levia retinenda, quæ non fuerunt causa inimicitie non sunt missi, & aliis modis independentè ab ipsis remitti possunt.

Quantum ad præceptum Ecclesiasticum. Probat. 1. Ex Trid. c. 5. sæpè cit. circa medium, ubi dicitur: *Constat nihil aliud in Ecclesia a Penitentibus exigi, quam ut, postquam quisque diligentiè se excusserit... ea peccata confiteatur, quibus se Dominum & Deum suum mortalitèr offendisse meminerit.*

Prob. 2. Si esset præceptum Ecclesiasticum confitendi venialia, contineretur citato Canone *Omnis utriusque sexus*, eod quod in eo dicitur, quod *omnis fidelis confiteri teneatur omnia peccata sua*; atqui his verbis, seu isto canone non præcipitur Confessio venialium: ergo. Prob. Min. 1. Præceptum hujus canonis est tantum determinativum Juris divini quoad Confessionis tempus, nihil innovans circa ejus substantiam. Ità expressè Trid. iterum cap. 5. cit. in fine: *Neque enim, inquit per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiteantur, quod Jure divino necessarium & institutum esse intellexerat; sed ut præceptum Confessionis, saltem semel in anno, ab omnibus & singulis, cum ad annos discretionis pervenerint, impleretur.* Atqui Præceptum divinum non obligat ad Confessionem venialium, ut dictum est: ergo. Prob. 2. eadem prima Min. Verisimile non est, Ecclesiam in condendo hoc præcepto aliud intendisse, quam interderi Christum in condendo suo, scilicet reconciliationem peccatoris cum Deo; atqui ad hunc finem non requiritur Confessio venialium, cum per illa non dissolvatur amicitia cum Deo; ergo. 3. Pena, quæ ibi indicitur, gravior est, quam ut pro omissione Confessionis venialium infligatur: ergo. Denique Trid. quod hunc canonem discussit, declarat, ut vidimus, nihil aliud exigere in Ecclesia, quam Confessionem mortaliæ. Hæc igitur particula *Omnis & omnia peccata* in laudato canone intelligendæ sunt conformiter ad præceptum divinum, cujus est determinativum, scilicet de omnibus, qui habent peccata mortalia, quæ sunt materia necessaria confessionis.

Adde, & est confirmatio Conclusionis: si per tota omnia etiam intelligerentur venialia, sequeretur, quod habens mortalia cum venialibus adhuc teneretur confiteri venialia, quod non admittunt Adversarii: vel peccatum mortale superveniens venialibus liberaret ipsum ab onere confitendi venialia, quod etiam dici non potest, quia, si venialia sunt per se materia necessaria Sacramenti ex præcepto Ecclesiæ, etiam adjuncto mortali debent declarari. Hinc inferes, nequidem constitutum in articulo mortis per se teneri ad Confessionem, si nullus peccati mortalis conscius sit: possit tamen teneri per accidens ratione scandali.

Dices 1. S. Thom. hic art. 3. o. sic ait: *Dicendum, quod ad Confessionem dupliciter obligamur. Uno modo ex Jure divino ex hoc ipso quod est medicina, & secundum hoc non omnes tenentur ad Confessionem, sed illi tantum, qui peccatum mortale incurant post Baptismum. Alio modo ex præcepto Juris positivi, & sic tenentur omnes ex institutione Ecclesiæ edita in Concilio generali sub Innocentio III. tum ut quilibet peccatorum se recognosceret, quia omnes peccaverunt, & egent gratia Dei; tum ut cum major reverentia ad Eucharistiam accederent, tum etiam ut Ecclesiarum Rectoribus sui subditis innotescant, ne lupus intrâ gregem lateat: ergo. R. S. Thom. sic loqui secundum probabilem tunc temporis, ante Trid. aliquorum sententiam, quam nec ut certò veram proponit, nec adoptat, si*

quidem oppositam admittat ibid. ad 3. Cum enim sibi opposuisset hoc argumentum: *Aliquis est qui non habet peccata nisi venialia; sed de illis non tenetur confiteri.* Huic argumento respondet conformiter ad id, quod dixerat in corpore articuli. deinde addit: *Vel potest dici secundum quosdam, quod decretali prædicta non obligantur nisi illi, qui habent peccata mortalia. Quod patet ex hoc, quod dicit, quod debent omnia peccata confiteri, quod de venialibus intelligi non potest, quia peccata omnia confiteri potest. Et secundum hoc etiam ille, qui non habet mortalia, non tenetur ad confessionem venialium, sed sufficit ad Ecclesiæ præceptum implendum, ut se Sacerdoti representet, & se ostendat absque conscientia mortalis esse, & hoc ei pro Confessione reputatur.* Et adhuc expressius q. 8. seq. art. 5. ad 4. Ubi de illo, qui non proprio Sacerdoti, sed alteri ab Episcopo commissionem habenti confessus est, dicit: *Eodem modo debet se habere, sicut ille, qui habet solum venialia. Talis enim solum venialia confiteri debet, ut quidam dicunt, vel profiteri se a peccato mortali immunem esse, & Sacerdos eim foro conscientie credere debet, & tenetur.*

Dices 2. cum Juvenia. Si ita res foret, iniquè Pastores animadvertent poenis Canonis in eos, qui illud præceptum per annum non adimplevisset: promptum enim eis foret responsum, scilicet se per Dei gratiam nullius peccati mortalis reos esse; atqui: ergo. R. cum D. Thom. modo cit. Pastorem in foro conscientie debere & teneri, ita respondentibus & affirmantibus credere, maxime si attentis eorum moribus & christiana conversatione fide digni habeantur, nec posse eos poenis canonis subijcere, modò tamen adimpleant præceptum Communionis Paschalis.

Insistes cum eodem. Plures Synodi in variis Diocesisibus Galliæ illud Ecclesiæ præceptum determinant ad tempus Paschæ, atqui in nostra sententia fieri posset, ut pauci admodum tenerentur confiteri in quindena Paschæ, casu scilicet quo illa durante non peccarent mortalitèr, & pridè Dominicam Palmarum peccata mortalia apud alium Sacerdotem deposuissent; atqui hoc est inconveniens, ergo. R. 1. Talia Synodorum Provincialium Decreta quoad vim præcepti innovare tantum Canonem Juris; quoad verò determinationem temporis extorri dumtaxat ad id, quod est convenientius, & frequentari solet a fidelibus pro reverentia debita Eucharistiæ tunc temporis suscipiendæ. Patet hæc Responsio ex ipso Concilio Burdigalensi, quod opponit laudatus Auctor; ibi enim habetur: *Nullus alius præcepto Ecclesiæ satisfecisset, non dicit nostro, seu hujus Synodi: ergo non novum condit præceptum, sed prius factum in Concilio generali Lateranensi innovat.* Verum certum est, Ecclesiam nunquam præcepisse Confessionem pro tempore Paschali, sed indeterminatè *Semel in anno. R. 2.* Dato, in illis Conciliis contineri præceptum quoad Confessionem tempore Paschali faciendam, verosimilius est non aliam pro hoc tempore præcepisse Confessionem, quam Ecclesia pro tempore anni. Ecclesia autem, ut vidimus, non nisi mortaliæ Confessionem præcipit. Itaque in casu, quo quis pro anno non fuerit confessus, & solum haberet venialia, tenetur se sistere Sacerdoti, ut vel ipsi exponat statum suum, iudicium ejus expectans super iis, quæ debeat agere, vel ut profiteatur se esse immunem a peccato mortali, cui juxta S. Thom. debet credere Sacerdos, modò tamen præceptum Communionis Paschalis adimpleat.

Petes, utrum saltem Ecclesia possit præcipere Confessionem venialium? Quidam, ut Soto, Sylvester, Henriquez, & alii negant; tum quia Ecclesia non potest mutare materiam Sacramentorum: mutaret autem, si venialia, quæ sunt materia libera Confessionis, confiteri præciperet, quia tunc fierent materia necessaria; tum etiam qui non habet jurisdictionem in actus internos, quales sunt plura venialia, & quales requiruntur ad confessionem, scilicet dolor, propositum, &c. Alii tamen probabilius & communius affirmant, Ecclesiam posse saltem quorundam venialium Confessionem præcipere; quia potest esse causa rationalis hujus præcepti, non minus quam dicit præcipit jejunium & orationem; illa enim non est minus utilis, quam ista. Nec aliunde deest in Ecclesia legitima potestas posita enim à Christo institutione Confessionis exterioris venialium, ut actus boni moralitèr & sacramentalis, potest Ecclesia ob rationabilem causam eam directè præcipere, cum sit actus exterior, & indirectè actus interiores, qui ad eam legitime faciendam sunt necessarij: sicut potest præcipere Confirmationem & Eucharistiam, quin imò & Confessionem mortaliæ etiam interiorum illo tempore, quo non obligat præceptum divinum. Per quod patet responsio ad 2. rationem pto 1. sententia. Ad 1. autem, R. materiam Sacramenti non ideo mutatam iri, quia peccata venialia non fierent materia necessaria necessitate Sacramenti, sed tantum necessaria necessitate præcepti, sicut de pane azymo; posset enim semper subsistere Sacramentum sine illis, & illa remitti sine Sacramento.